



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

Controversia I. De principiis entis naturalis in co[m]muni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

habituum distinctionem siue ab speciebus distinguantur, siue non, probat eorum crebra, & manifesta separatio.

Hanc esse scientiam speculatiuam communis tenet sententia, neque inficiari potest pleraque illius conclusiones tales esse: quid enim ad praxim conducet cognitio materię primę, emanationis potentiarum ab illa, quidve infiniti, cōtinuęque proluxa disputatio? Nihilominus censeo aliquas illius conclusiones rationem practicam imbibere: docet enim Philosophia requiri applicationem inter agens, & passum, ut hoc effectum patiatur, & illud eundem producat, quę cognitio plurimum conducere potest ad actiua passiuis applicanda: sic alias conclusiones reperiēs, de motu locali, v.g. quomodo fiat motus rectus, quomodo attrahatur vnum corpus ab alio ad replendum vacuum, aliāsque quā plurimas.

CONTROVERSIA PRIMA.

De principiis entis naturalis in communi.

IN hac Controuersia de principiis entis naturalis in communi agam, actorum in succedentibus de quolibet principio in particulari.

PUNCTUM PRIMVM.

Quid sit principium rei naturalis?

PLVRES sunt acceptiones principiorum, quas percurrunt Theologi, atque Philosophi, & tradunt Damascenus in lib. aduersus Manichęos, Aristot. lib. 5. de generat. animalium, c. 7. lib. Poët. c. 6. lib. 5. Metaph. c. 1. text. 1. & lib. 1. Physic. c. 5. text. 12.

Principium proprię sumptum in sua latitudine latius patet quā causa, quia ad rationem principij tantum requiritur ut sit id, ex quo tanquam ex primo res est, sit aut cognoscitur iuxta definitionem principij traditam ab Aristotele lib. 5. Metaph. cap. 2. causa verò dicit influxum defectibilem ut probabo Controu. 7. Punct. 1. Vnde Pater æternus est principium Filij, qui ex illo per æternam generationem procedit, non causa. Neque obstat Gręcos Patres veluti Chrysost. & Theodor. in Commentariis Epistolę ad Hebręos, & Damascen. lib. 1. fidei Orthodoxę cap. 11. & in lib. aduersus Manich. & D. Athan. in actis Nicenę Synodi, Patrem causam Filij appellasse, quia apud Gręcos correlatiuum causę non est effectus, sed procedens, ut doctē notant Conimbr. lib. 1. Physic. cap. 5. q. 1. quapropter cum verbis dicunt, Patrem esse causam Filij, in re tantum significant Filium à Patre procedere. Vtuntur etiam hoc nomine causę in diuinis nonnulli ex Patribus Latinis; Ita D. August. 7. de Trinitate cap. 1. & lib. 83. quęst. q. 15. asserit Deum suę sapientię causam esse, & D. Hieronym. ad c. 3. Epistolę ad Ephes. dicit Patrem sui originem esse, suęque causam substantię. Quę verba in sensu negatiuo explicanda sunt, quia tantum Doctores sancti intendunt significare Deum nullam habere causam suę sapientię aut essentię, sed esse à se. Secundum acceptionem principij per definitionem importatam, effectus posset principium causę dici, quia hæc ex illo cognoscitur, verumtamen absurdum per se apparet effectum principium dici causę, illo naturę prioris, in quod ne incidamus, à nobis explicandus est Aristoteles de cognitione à priori, per quam effectus ex causa, & non causa ex effectu cognoscitur.

Secundo sumi solet principium pro primo alicuius rei in aliquo ordine, id est pro origine, & prima radice alicuius rei. Sic Tullius definit principium 1. Tuscul. Principij nulla est origo, nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem ex nullo nasci potest. Et Arist. 5. de Generat. animalium c. 7. De ratione principij est, ut ipsum causa sit multorum, sed ipsum nulla sit superior causa. Secundum hanc acceptionem com-

munis omnium Parens Adamus dicitur principium omnium hominum, illiusque peccatum peccatorum principium omnium; non tamen meus parens dicitur principium mei in hac acceptione, quia absolute non est primum principium cum ab alio homine procedat. Neque obstat Adamum etiam ab alio principio scilicet à Deo procedere, quia non ideo procedit ab alio principio eiusdem ordinis cum illo, scilicet ab alio homine, à quo originem trahat per sententiam propagationem. Secundum hanc acceptionem principium, & causa se habent, tanquam excedens, & excessum, quia meus parens est causa mei, & non est principium. Pater æternus est principium Filij, non tamen causa. De Filio dicit Hurtad. non dici principium Spiritus sancti, secundum hanc acceptionem eo quod Filius à Patre procedat. Aliter ego sentio, quia licet Filius procedat à Patre, procedit ab illo tanquam à principio generante, & non tanquam à principio spirante, ac proinde in ordine spiratiui principij simul cum Patre sunt primum principium spiratiuum Spiritus sancti.

Tertiò principium aliquando sumitur pro initio seu inceptio rei. Hoc initium aliquando sumitur in ordine ad tempus, quo sensu dicere solemus nunc incipit lectio, aut concio; aliquando in ordine ad locum, & positionem, quo sensu primum hominem vocamus, qui primo loco sedet, & punctum terminatiuum lineę primum illius punctum dicimus, ac lineę principium. Hęc principij acceptio in diuinis locum non obtinet, omnia enim intrinseca Dei sunt ab æterno, & immensa nullo temporis, aut loci spatio definita. His præmissis,

Aristoteles c. 5. tex. 42. definit principia entis naturalis quę neque ex se, neque ex aliis sed omnia fiunt ex ipsis, quę definitio ita est intelligenda, ut vnum principium non fiat ex alio genere, quo est principium v.g. ut materia non fiat ex forma tanquam ex causa materiali, neque forma ex materia tanquam ex causa formali, quo genere dicitur principium; insuper quod non fiant ex aliis, videlicet, quod materia non fiat ex alia materia, nec forma ex alia forma, sed omnia fiant ex ipsis, videlicet omnia composita consent ex principiis, quod intellige iuxta distributionem accommodatam, videlicet tota collectio compositorum ex tota collectione principiorum, & hoc numero compositum ex his principiis numero, verbi gratia hic equus, ex hac materia, & ex hac forma; non verò ex quolibet principio potest fieri quodlibet compositum, quia ex forma equi non potest fieri neque componi homo.

Ex hac explicatione definitionis facillè soluntur omnia, quę contra illam adduci solent. Obiicies primò formam fieri ex materia, quod iam solui. Obiicies sedundo, materiam fieri ex partibus integralibus, quod eodem modo soluitur, quia materia est principium tanquam pars essentialis, non verò tanquam pars integralis, & licet fiat ex partibus integralibus, non tamen fit ex aliis eo genere

genere quo est principium, videlicet ex aliis partibus essentialibus, quæ ad illam supponantur tanquam materia illius. Si verò intes materiam, & formam fieri ex partibus essentialibus videlicet ex genere, & differentia, quæ sunt partes essentielles. Respondeo fieri ex partibus essentialibus metaphysicis, ipsas verò esse partes essentielles physicas, & principia physica compositi, ac proinde non fieri ex aliis eo genere quo sunt principia.

7 Circa prædictam definitionem, est difficultas, an comprehendat principia tantum intrinseca, vel etiam extrinseca. Hurtad. sect. 2. docet comprehendere principia intrinseca, & extrinseca. Conimb. 1. Physic. c. 5. q. 1. cum multis aliis docent sub hac definitione tantum comprehendere principia intrinseca videlicet materiam, formam, & priuationem: his assentior, quia Aristoteles de principiis extrinsecis agit 2. Physic. non verò in hoc libro in quo tantum de materia, forma, & priuatione disputat. Deinde quia proprie res non dicitur fieri ex causa efficienti, neque ex finali, sed ab efficienti, & propter finem.

8 Obicit Hurtad. aliquas loquutiones Scripturæ in quibus particula ex denotat efficientiam: *Qui ex Deo est verba Dei audit*, Ioann. cap. 8. num. 46. & num. 44. *Vos ex patre Diabolo estis*. Respondeo in primis non semper voces sumi in stricta significatione in Scriptura, imò neque in probatissimis cuiusvis linguæ auctoribus, illiusque Principibus: verbum enim vel strictè loquendo disunctione significat, ita ut in rigorosa significatione non verificetur, si vtrumque membrum quod disungit existat: nihilominus non ita strictè sumitur, passim enim illo vtrumque etiam possit vtraque pars quam disungit esse vera, & in Scriptura dicitur, *ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo ibi sum in medio eorum*, non autem intelligimus Deum non esse, ubi duo, & tres sint congregati. Ratio huius, quia cum verba possint habere significationem accommodatam modo loquendi, licet non magis propriam, non tenemur uti illis iuxta significationem propriissimam, sed licet uti eis iuxta aliam minus propriam, quando ratione materia non potest esse ambigua, sicut in præfenti; non enim potest intelligi homines esse ex Deo, neque ex Diabolo tanquam ex materia.

9 Adde particulam ex in prædictis propositionibus non solum denotare efficientiam quia tam homines boni, quam mali fuerunt effecti à Deo, sed denotare quamdam communicationem eiusdem nature. Petrus enim dicitur ex parentibus, quia per communicationem eiusdem sanguinis ab illis trahit originem, quia cum filius sit aliquid patris, & veluti pars quædam decisa ab illo, dicitur ab illo dimanasse, sicut amnis à fonte: qui verò homines producti fuerunt à suis parentibus per naturalem seminationem, & communicationem sanguinis, ideo dicuntur ex illis originem trahere: tunc verò dicuntur ex Deo, quia illam communicationem nature quam habent à patribus naturalibus per communicationem sanguinis, habent à Deo altiori quodam modo per gratiam habitalem, quæ est participatio quædam diuinæ essentia, per quam filij constituentur, non naturales, quia non habent eandem naturam cum Deo, sed adoptiui, quia communicatio nature est per participationem, & per affectum, & non per identitatem. Ex his cum dicitur: *qui ex Deo est verba Dei audit*, debet intelligi non qui productus est à Deo, sed qui est filius Dei prædestinatus ad filiationem adoptiuam: cum verò dicitur, *Vos ex Diabolo estis*, illud ex sumitur magis improprie, solum enim significat habere opera adeò similia operibus diaboli, ut videantur eandem naturam cum illo habere. Fundamentum autem loquutionis per particulam ex esse prædictum, & non tantum denotare causalitatem extrinsecam. Probo: quia nunquam talis loquendi modus reperitur in causa finali, neque efficienti, quæ sunt principia extrinseca: non enim dicimus, medicina est ex salute, licet dicamus medicinam esse propter salutem. Si verò obieciat dici vnum ignem esse ex alio, in quo non reperitur hæc communicatio nature. Respondeo hunc modum loquendi improprieissimum esse, & tantum translatus ex viuentibus ad non viuentia, in quibus raro inuenitur, & semper improprie. Conuenit ergo hæc definitio materia, formæ, & priuationi, quæ sunt principia intrinseca, non tamen omnibus viuocæ, quia non enti, & enti non potest dari ratio viuocæ, sed tantum materia, & formæ proprie, priuationi verò improprie, quia ex priuatione, quæ est non ens non potest aliquid proprie fieri.

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

10 Vltimò aduerto, cum dicimus hanc definitionem conuenire principiis intrinsecis tantum, non esse intelligenda principia intrinsece componentia, quia forma est principium generationis ut dicam postea, & non componit intrinsece generationem, debent dici principia intrinseca, quæ intrinsece componunt id cuius sunt principia vel illa quibus intrinsece afficitur illud cuius sunt principia.

PUNCTUM III.

Quot sint principia entis corporei.

1 Aristoteles tria principia assignauit entis naturalis, seu corporei, materiam videlicet, formam, & priuationem. Compositum autem intelligitur in fieri, & in facto esse: per compositum autem in fieri intelligitur compositum in primo instanti, quo fit, neque per compositum in facto esse idem compositum in secundo instanti in quo iam factum est, ut posset imperitus aliquis iuxta sonum vocum intelligere, quia compositum non minus perfectè est factum in primo instanti suæ durationis, quam in secundo, est enim idem omnino substantialiter inuariatum in primo, & secundo instanti, & sicut primo instanti terminat actionem productiuam, in secundo terminat actionem conseruatiam; conseruatio verò, & productio per se non distinguuntur, nisi quando variantur agentia, si enim idem agens conseruet, & producat, actio est eadem numero, & tantum differunt conseruatio, & productio per denominationem extrinsecam primi instantis durationis, & instantium subsequens; compositum verò in facto esse dicitur ipsa entitas compositi substantialis, & compositum in fieri actio productiua illius compositi, seu illius generatio. His positis:

2 Dico primò, compositum in facto esse tantum includere duo principia materiam videlicet, & formam, quia tantum fit ex ipsis, & non ex priuatione, quod probo: si esset ab æterno materia vnita formæ verè esset compositum, & non præcessisset priuatio. Deinde quia compositum est destructiuum formaliter priuationis: ergo priuatio non est principium illius: Probo consequentiam, quia nulla entitas potest principium sui non esse, sicut enim omnis entitas creata est ab alio, ita non esse illius est ab eodem, quia sicut constituitur existens per actionem dependentem ab alio, ita constituitur non existens per negationem actionis dependentis ab alio.

3 Dices hanc rationem probare nihil posse esse principium sui non esse in genere causæ efficientis. Respondeo absolute probare in omni genere, quia ratio, quæ probat nihil esse principium sui esse in vno genere, probat eadem proportionem non posse in eodem esse principium sui non esse, quia ratio principij non esse est negatio rationis principij sui esse in eodem genere, priuatio verò, & actus semper sunt ab eodem in omni genere. Obieciat modum vnionis esse de ratione compositi, sicut materia primæ & formæ: ergo similiter erit principium entis naturalis. Respondeo modum vnionis esse principium *ut quo*, quod quatenus se tenet ex parte formæ, quæ est principium *ut quod* cum illa constituit principium quoddam adequatum completum, & quatenus se tenet ex parte materiæ est etiam principium *ut quo*, & cum illa tanquam principio *ut quod*, constituit principium aliud adequatum. Ratio est, quia modus vnionis non componit, sed est ratio componendi, neque est causa intrinseca compositi, sed causalitas illius, & sicut ex principio effectiui, & causalitate non constituentur duo principia, ita neque ex forma, & ratione informandi debent constitui duo principia.

4 Obiicit subsistentiam esse de ratione intrinseca suppositi: ergo est principium illius. Respondet Hurtad. supra subsistentiam pertinere ad compositionem metaphysicam, sed me omni no latet cur compositio ex natura, & subsistentia, quæ ex rebus physicis fit ad compositionem metaphysicam spectet. Respondeo hic agi de principiis compositi naturalis, seu nature non tamen de principiis suppositi, quod Aristoteles non cognouit. Imò adde subsistentiam materiæ cum ipsa constituere vnum principium, & subsistentiam formæ cum forma constituere aliud, quia totum subsistens constat ex materia subsistente tanquam ex vno principio, & ex forma subsistente tanquam ex alio.

M Dico

5 Dico secundò, Generationem essentialiter tantum constare duobus principiis, videlicet subiecto, seu materia, & formâ, seu termino, quod sic probò: Priuatio tantum est principium mutationis ad quam tantum formaliter pertinet, sed generatio, non est mutatio: ergo ad generationem ut generationem priuatio non spectat. Maiorem admittant omnes: minorem probabo. Controvers. 2. de Generat. Punct. 1. consequentia est legitime deducta.

6 Obiic. ad probandum generationem habere alia principia præter materiam, & formam, quia generatio est actio: ergo dependet ab efficiente: ergo habet principium efficiens. Respondeo negari non posse efficiens esse principium generationis, est tamen principium extrinsecum, de quo non est sermo, sed tantum de principiis intrinsecis materiâ, & formâ, quarum illa dicitur principium intrinsecum non quia componat generationem, sed quia illam intrinsecè in se recipit, forma verò dicitur principium intrinsecum, quia ita terminat actionem ut ex vi talis terminationis habeat esse: agens verò intrinsecè eodem modo se habeat siue agat, siue non, quia quatenus agens solum dicit exire actionem ab ipso, non autem aliquid in se recipere neque suam entitatem recipere esse.

7 Obiic. ad probandum priuationem esse principium generationis, quia licet non præcedat prius tempore priuatio formam, præcedit prius naturâ, quia producit a materia, quæ supponitur sine forma prius naturâ: ergo supponitur cum priuatione formæ. Confirmatur: non supponitur prius naturâ cum forma: ergo supponitur cum priuatione formæ. Probatur Consequentia, quia forma & priuatio formæ opponuntur contradictoriè, inter oppositionem verò contradictoriam non datur medium. Respondeo priuationem formæ non esse prius naturâ, forma neque generatione illius quia illud est prius naturâ tantum quod est ratio cauendi, cum verò priuatio formæ non sit ratio cauendi non potest esse prius naturâ: deinde non potest esse in instanti naturâ in materia, quod non est in instanti temporis, quia implicat, quod causet quod non est in aliquo instanti temporis, ac proinde cum priuatio formæ non sit in instanti temporis in materiâ, cum materia & forma in eodem instanti producantur, implicat esse in instanti naturâ. Ad argumentum in forma respondeo materiam præsupponi sine forma, non verò cum priuatione formæ, sed abstrahendo ab existentia formæ, & priuatione illius. Ad confirmationem dico, quod licet inter formam, & priuationem formæ non detur medium, datur tamen inter formam priorem naturâ & priuationem cum eadem prioritate, quia non infertur: forma non est prior naturâ ergo priuatio est prior naturâ.

8 Dico tertio, generationem in ratione mutationis constare tribus principiis: priuatione, materiâ, & termino à quo. Probò: mutatio ut mutatio dicit quod subiectum aliter se habeat ac antea se habebat, ac proinde dicit subiectum commune: dicit modum, quo nunc se habet per receptionem formæ, ac proinde dicit formam tanquam terminum ad quem talis modi, & dicit modum, quo antea se habebat aliter, id est sine forma, quæ est priuatio eiusdem, & terminus à quo mutationis.

9 Nota tamen quod diuerso modo hæc principia concurrunt ad mutationem: materia enim concurret tanquam subiectum eam intrinsecè recipiens adequatè ab illa distinctum; forma verò tanquam terminus, ad quem essentialiter dicit ordinem mutatio, qui ex vi talis mutationis habet esse distinctum formaliter à mutatione, quia mutatio non est essentialiter, neque inadæquatè forma adueniens, sed receptio illius rectè, ut docent Conimbr. lib. 3. Physic. quest. 1. art. 1. materia enim dicitur mutata per receptionem illius, quod antea non habebat, ac proinde formaliter dicit receptionem, & dicit non habuisse antea talem receptionem, quod est priuatio formæ in subiecto seu receptionis, quæ priuatio formaliter constituit subiectum mutatum, & est principium intrinsecum mutationis ad instar materiæ compositi, quia actio per se non formaliter constituit subiectum mutatum, si antea non præcessit priuatio, ac proinde hæc priuatio est ratio formalis inadæquata mutationis.

10 Ex hoc infero: id quod vulgo dicitur priuationem formæ esse principium generationis intelligendum esse de priuatione non formæ secundum se, sed formæ ut inhaerentis & receptæ in subiecto, hoc est priuatio eiusdem receptæ

priuationis. Quod probò: si forma præcessisset existens independentè à subiecto producta, & conservata per actionem creatiui, & deinde inhaereret subiecto, subiectum diceretur mutatum: ergo mutatio non dicit formaliter priuationem formæ, sed priuationem formæ ut inhaerentis, seu inhaerentis. Constat mutationem formaliter, & intrinsecè includere actionem productiuiam formæ, quæ est receptio illius in hoc instanti, & priuationem eiusdem in instanti præcedenti, quæ priuatio inhaerentis in instanti præcedenti, & inhaerentis in hoc instanti essentialiter constituunt subiectum quod afficiunt mutatum.

Infero secundò materiam propriè non mutari per animam rationalem tanquam per terminum, quia per illam non recipit aliquid quod antea non recipiebat, quia anima rationalis non recipitur in materia; dicitur autem mutata per receptionem modi vnionis, qui per receptionem seu passionem inhaeret materiæ, & improprie, & extrinsecè per animam rationalem, quæ nunc est terminus vnionis ad illam, quæ mutatio impropria inuenitur in omnibus compositis distincta à propria mutatione, quia propria mutatio constituit formaliter in receptione formæ, impropria verò, quæ datur respectu animæ rationalis, & est communis omnibus formis, constituit in vnione: dicitur autem impropria, quia cum terminus in ratione termini sit extrinsecus alteri termino, non potest vnum per aliud mutari propriè, sicut propriè non mutatur pars integralis per vnionem ad alteram. Quod verò in vnione partium essentialium vna subiectetur in altera non est per vnionem, sed per receptionem. Vnde si modus vnionis inter materiam, & formam hominis crearetur, quod de potentia Dei absoluta posse fieri diximus, non minus maneret immutata materia prima per vnionem ad formam hominis, quam forma hominis per eandem vnionem ad materiam, quia neutra esset subiectum alterius, neque vnionis, ac proinde maneret mutata extrinsecè, & improprie, sicut vna pars integralis quantitatis per vnionem ad aliam partem integram.

Obiic. eodem modo posse dici terminum à quo mutationis receptionem formæ præexistens, ac dicitur priuatio subsequens, quia sicut materia transit à priuatione huius receptionis ad hanc receptionem, similiter transit ab hac receptione ad aliam. Respondeo mutationem tantum dicere, quod subiectum aliter se habeat nunc ac antea, ad hoc verò non requiritur, quod transeat à receptione præcedentis formæ ad receptionem subsequentis sed tantum quod transeat ad receptionem à priuatione illius. Verum tamen est in ratione transitus vnus receptionis ad aliam seu conuersionis vnus compositi in aliud, qui transitus motus propriè dicitur vocari solet, includi inhaerentem præcedentem tanquam terminum à quo, & subsequentem tanquam terminum, ad quem, & ex vtraque constitui hunc transitum, conuersionem, seu motum propriè dictum: veteri nomine, quod placuerit.

Obiic. Priuatio inhaerentis in instanti præcedenti & inhaerentis in hoc instanti non possunt tribuere suum effectum formalem nec reddere subiectum mutatum, non in instanti antecedenti, quia tunc tantum est priuatio, quæ est forma inadæquata, nec in hoc instanti quia in hoc tantum est inhaerentis, quæ est etiam forma inadæquata, & deficit priuatio, quæ est alia compars: ergo in nullo tempore subiectum est mutatum.

Communis solet esse responsio connotatorum in his, & similibus argumentis videlicet inhaerentem existentem in hoc instanti cum connotatione ad priuationem præcedentem dici mutationem, inhaerentem autem & connotatio sunt in hoc instanti, ac proinde in hoc instanti dicitur mutatum subiectum. Sed non acquiesco, non enim percipio quid sit illa connotatio, quia non identificatur cum hac inhaerentia, quia hæc inhaerentia potest esse, & de facto erit in instanti sequenti, in quo subiectum non mutabitur: ergo includit aliquid ab illa distinctum, si hoc sit priuatio præcedens habet eandem vim argumentum; si aliquid distinctum, videamus quid sit, non formalitas rationis, quia realiter subiectum est mutatum: quæ ergo formalitas poterit esse distincta ab inhaerentia existenti in hoc instanti, & negatione eiusdem existenti in instanti præcedenti? Si fingatur resultare aliam tertiam, entitatem eodem modo arguo: vel resultat ex priuatione præexistente, vel ex inhaerentia subsequenti non ex aliqua eorum tantum, quia vtraque requiritur ut sit mutatio: ergo resultat ex vtraque. Inquiri ergo, in quo instanti resultat? si enim

enim resultat in instanti, in quo est priuatio, resultat quādo non est inhæsiō, quæ est fundamentum illius: si resultat quando est inhæsiō, resultat quando non est priuatio: ergo sicut tenentur concedere id, quod non existit esse fundamentum talis tertiæ entitatis, non existit, etiam poterunt dicere denominare subiectum, præcipue cum tertia illa entitas non appareat quid sit, neque ad quod prædicamentum reducat.

15 Respondeo mutationem esse formam quandam non physicè vnā, sed moraliter, & denominationem mutati esse moralem, & non physicam, ac proinde non requirit formam physicè existentem in instanti, in quo denominatur, sed sufficit, si partim existat, partim existerit, sicut denominatio præteriti sumitur à forma, quæ non est, sed fuit; & denominatio futuri à forma, quæ non est, sed erit, & ego dicor prior Antichristo per meam existentiam durantem nunc, & per existentiam Antichristi postea duraturam, quæ modò nihil est; & posterior Adamo per meam existentiam durantem nunc, & existentiam Adami, cuius duratio iam præterit, & modò nihil est.

16 Obiicit, nos dixisse priuationem non posse esse principium totius, quia opponitur priuatio cum toto contradictoriè ratione habitus, quem totum includit, cui priuatio mutuo opponitur tanquam esse, & non esse: Sed similiter priuatio inhæsiōnis & inhæsiō, quæ est idem ac generatio realiter opponuntur contradictoriè: ergo priuatio inhæsiōnis nullo modo potest esse principium generationis.

17 Respondeo in primis priuationem, & habitum non opponi contradictoriè, si ad diuersa tempora referantur, sicut referuntur in mutatione, in toto autem deberent ad idem tempus referri, quia totum substantiale est quoddam ens physicum permanens, quod est totum simul, & non potest esse partim in hoc instanti, partim in sequenti, sed in omni instanti quo durat est secundum se totum, aliàs nunquam esset totum, quia cum habeat vnionem physicam partium, & hæc non possit esse in instanti, in quo non est vtraque pars, implicat illud esse totum sine coexistentia omnium partium. Mutatio verò est totum quoddam morale, cuius partes non habent vnionem physicam, sed moralem, quæ consistit in immediata successione, ac proinde potest esse, quin partes illius sint simul, quia mutatio est ad instanti successione in ratione essendi, licet in ratione denominandi denominet subiectum mutatum, sicut spatium horæ labitur successiue: in instanti verò dicitur horam completam fuisse elapsam, & ante terminatum illius non dicitur horam fuisse elapsam.

18 Addo me non asserere priuationem inhæsiōnis esse principium generationis, sed alterius entitatis, mutationis videlicet, quæ componitur ex generatione tanquam parte, & priuatione præexistenti eiusdem tanquam altera comparte; in toto autem hoc non potest excogitari, quia ex entitate totius, & negatione præexistenti non componitur alia tertia entitas, neque inuentum est nomē ad significandam illam successione negationis præcedētis, & totius subsequentis per modum vnus. Inquires quādiu duret mutatio? Respondeo tantum durare in prima productione formæ quam includit, quia tunc tantum dicitur subiectum se habere aliter ac antea se habebat; in secundo verò instanti, quo forma conseruatur, subiectum eodem modo se habet cum illa, ac se habuit in instanti præcedenti, quo talis forma fuit producta, & illam recipit. Nihilominus subiectum dicitur mutatum non solum in illo instanti; sed in subsequentibus sumpta denominatione à forma præcedenti, sicut Petrus dicitur filius Ioannis non solum in instanti, quo eum genuit, sed postea per denominationem sumptam à generatione præcedenti, & mulier dicitur nupta ex contractu matrimonij iam præterito. De mutatione subiecti per receptionem formæ accidentalis nihil peculiare occurrit dicendum, eodem enim modo philosophandum est ac de mutatione per formam substantialem, & dicendum priuationem non esse principium totius accidentalis in facto esse, neque generationis accidentalis, vt generatio est, sed tantum illius quatenus est mutatio per priuationem ipsius, ex cuius consortio resultat mutatio tanquam ex duabus partibus.

19 De productione materiæ primæ & Angeli dicendum est esse illius principium terminatum intrinsecum modò explicatum ipsam materiam primam, & ipsum Angelum. An verò materia prima, & Angelus sint principia illius in genere causæ materialis dicam Controu.

Franc. de Guicelo, Philosoph. tom. I.

13. Physic. Punct. 3. vbi disputabo an creatio habeat causam materialem. Priuatio principium non est creationis Angeli, aut materiæ primæ, neque ad illam aliquo modo conducit, neque tanquam componens mutationem, quia non est subiectum, quod mutetur, & ad productionem Angeli, seu materiæ primæ secundum se impertinenter se habet negatio præcedens, quia illa productiones in communi sententia potuere esse ab æterno, deinde quia non apparet quo genere negatio præcedens possit pertinere ad productionem subsequentis, nisi tanquam terminus à quo, vbi autem non mutatio, non est terminus à quo.

CONTROVERSIA II.

De materia prima.

MN I V M principiorum in particulari materia prima primum est, ideo sibi præ aliis primum in nostra disputatione locum obtinet.

PUNCTUM PRIMUM.

Materiam primam dari statuitur.

Multiplicem respectum includit materia; ad formam, quæ ex illa educitur, & in illa recipitur, illique vnitur; ad totum, quod ex illa componitur; ad agens quod circa illam operatur. Iuxta hos respectus diuersas induit denominationes, in quas diuidi solet, est enim apud antiquos celebris materiæ diuisio in materiam ex qua, & in qua, & circa quam, quæ diuisio partitio non est totius actualis, vel potentialis, in partes actū, vel potentiā illud componentes, sed eiusdemmet indiuisibilis entitatis in diuersa munera, quibus fungitur. Materia ex qua in ordine ad totum dicitur, quod ex illa componitur, & cuius est pars materialis. Materia in qua per ordinem ad formam denominatur, quæ in illa recipitur, si materialis sit non creata, & in qua plurimas exercet operationes. Materia circa quam dicit respectum ad agens, quod operatur circa illam. Ex his respectibus duo priores ad conceptum metaphysicum spectant materiæ, quæ munus subiecti receptionis, & informationis exercet respectu formarum, & in ordine ad totum, quatenus est primum subiectum, quod compositum totius necessariò debet esse, & consequenter receptum formæ, vel saltem illi vnibile, nequit enim sine vnione ad formam totum componere; & multi asserunt de conceptu metaphysico constitutio illius esse potentiam receptiuam saltem in ordine ad vnionem. Vitimus conceptus explicatus per materiam circa quam, quem habet in ordine ad agens, formaliter ad materiam non spectat, cuius adæquata ratio primi subiecti, tota est in ordine ad compositum & ad formam, sine vilo ordine ad agens, quod actus non est potentiarum quas habet materia, vt formam recipiat, illamque sibi vniat, & totum peragat compositum, quibus tota essentia materiæ primæ circumscribitur.

Materia aliter in transeuntem, & permanentem diuidi solet, aliàs in materiam extrinsecam, & intrinsecam: Materia permanens, seu intrinseca dicitur, quæ verè est materia ex qua totum componitur, quæ illi intrinsecè permanet. Materia extrinseca, seu transiens est totum corruptum ad generationem aduenientis, lignum v.g. ex quo solemus dicere fieri ignem, qui intrinsecè formam ligni non includit, imò illam excludit, & expellit à materia ligni; & ideo illi dicitur extrinseca, quia ex tali forma, tanquam ex termino extrinseco generationi ignis transit materia ligni à forma ligni ad formam ignis. Hæc materia transiens, seu extrinseca propriè materia non est, quia non totum componit, neque illius est subiectum, sed potius forma in subiecto recepta, quæ simul cum materia totum corruptum componebat.

Alia est partitio materiæ in Physicam, & Metaphysicam. Materia physica, est materia de qua agimus, quæ propriè materia dicitur, quia verè & realiter componit totum substantiale: Materia Metaphysica est, quæ metaphysicè tantum, & per rationem totum componit per modum

M 2 partis